

PROOEMIUM.

Mira et incredibilis hominum nostratum est sollertia in inueniendis et fruendis voluptatum generibus. Inuenti sunt mille modi, quibus auiditas excitaretur, neque defunt desiderantibus multiplices stimulorum formae. Equis enim ignorat GILBERTVM DE PREVAL, infani amoris curatorem et antidoti certi laudatorem, immo vero exploratorem coram iudicibus peritis? Cui non dictus est GRAMVS*) quidam, Anglus, qui nuper eo processit audaciae et impudentiae, ut intemplo sanitatis scilicet lectum caelestem magnetico electricum quauis nocte quinquaginta librarum pretio vulgaret, et balsamum diuinum, sterilitati et impotentiae auferendae aptum, magna numerum vi redimendam iuberet? Non deerunt veneris vulgiuagae magistri, cum plurimi iuuenum ac senum impensus appetant et quaerant insolita illecebrarum irritamenta. Peccant viri, delinquent feminae atque puellae. Aequarunt hae illorum licentiam, ideoque non potuerunt non corporum virilium vitia et morbos aequare. Hinc pallor et neruorum tremor, foeda macies, incerti labantium pedes, vertigo et oculorum tormenta, suffusio luridae bilis et decolor vultus, palpitatio, conuulsio crebra, et tabes caeca. Quaeris, vnde tot atque tam innumerabilia morborum occulta peste repentium genera oriantur? Deliciis foeditissimis se soluerunt, et libidine ne maribus quidem cedunt. Viros imitantur, et virorum more ineunt. Ut enim illi habent puerorum vnguentatorum greges, qui

A 3

post

*) Vid. Litteratur u. Voelkerkunde I. B. St. 3. p. 270. seq. et recuf. in Ill. BALDING, Med. Journ. St. 1. p. 45. seq.

post exhausta pocula et laute transacta conuiuia cubiculi
 contumelias expectant, ita hae, exuta femina, veneris
 scintillulas turpiter eliciunt, molliterque admota manu et
 sibi, et aliis profunt. Tales ergo, amici, non putate am-
 plius virgines. Tribades sunt. Nomen habent, integri-
 tatem et formam virgineam dudum perdiderunt. Ipsae
 se deuirginarunt, et, quando virgines esse desierint, non
 amplius recordari possunt. Quin vt dulcior esset volu-
 ptatis sensus, stato die domibus vel hortis conueniunt,
 oblectant proprio gaudio, leges sibi scribunt, quibus quae-
 que contubernalis sese adstringat, neque aliquam viro
 destinaram ex ista nobili **QVARTILLAE** sodalitate dimit-
 runt, nisi profiteatur futuras nuptias, et per aliquod tem-
 pus ab impudica et illicita fricatione feriata mutatam partium
 formam quodammodo restituat. Adeone mutari virgi-
 num naturam, pudorem et decorem posse, vt mallet
 vetita et impura gaudia sequi, quam castae et purae esse?
 Miseret me quotidie videre tot virginitatis casurae detri-
 menta, audire tot scholarum publicarum flagitia, legere tot
 bonorum virorum studia irrita, quibus tantam tamque
 perniciosam iuuentutis pestem auertere vel extinguere
 gestiunt. Iam salus publica agitur, cum pueri puellaeque,
 immo vero ipsae sacrae virgines, matronae nuptae, viduae
 atque vetulae perditissimo modo corpus polluant, et tur-
 pissimo igne pereant. Etenim vt umbra corpus, ita innu-
 mera morborum cohors isthoc scelus sequitur. Cum
 sanitate aut prorsum perditur concipiendi vis, aut certe
 peiores auis nascimur. Quid inde? Mors natum puellum
 aut cita pede eripit, aut miserae vitae tradit, quae scelestae
 matris debetur veneri. Visum ergo est, cum scribendus
 libellus esset, hoc *masturbationis* vitium explicandum mihi
 quam breuissime sumere, quia medici est, saluti ci-
 uium prospicere. Quod officium quam bene sim executus,
 viderint aequi bonique iudices.